Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2255
Quelle:
Copyright:

Fol. 110. *Sessio quinta decima sacri Basilien. Concilij.* et deinceps usque ad XX. prout habentur apud *Labb. col.* 288. — 318. additis quibusdam *Decretis Sess.* XXI.

Fol. 130. *Anthioc.* quem *Johannem* Patriarcham *Antiochenum* interpretor, Autorem Opusculi *de Superioritate Concilii gen. supra Papam*, apud *Labb. col.* 705. additur 6. *Nouembr.* et ita incipitur: *Anno 1432. mota est ista questio in deputation. pro reformatorio sacri generalis Concilij Basilien. An decretum irritans possit poni in collacionibus beneficiorum et prouisionibus ecclesiarum Kathedralium generaliter et indirecte contra papam.* Discutitur igitur hic ab *Antiocheno* dicto haec quaestio, qua in discussione praelusit quodam modo Opusculo illi memorato primum a. 1434. edito. Ceterum, quae hic habentur, ad *Sess.* VII. pertinent, quamvis nullibi indicata.

Fol. 142. Scriptum grave et doctum pro autoritate Ecclesiae universae seu Concilii gen. supra Pontificem, et speciatim contra dissolutionem vel translationem *Basileensis.* Haec verba praefert: *per vestre dominationis humilem Thomam.* Atque hinc arguo, Praelatum quendam, fortasse *Nicodemum Frisinganum* fui, ut alibi dixi, hospitis *Thomae* nostri *Haselbachii* mentem hoc super negotio exquisivisse, quam ille sic aperire orditur: *Quia sanctissimus Dominus noster papa Eugenius 4tus nuper XXIII. Augusti* (1432.) *per d. suos oratores Reverendissimos dominum Johannem Tarantinum, Andream colocens. Archiepiscopos et Bertrandum magdolonens. Episcopum coram sacro concilio proponi fecit suam intentionem de stabilitate ejusdem, in qua quidem propositione ponebantur puncta, que decretis sacri Constan. Concilij videbantur obuiare, quorum fundamentum stare videbatur finaliter in isto, videlicet quod solus papa habet plenitudinem potestatis, ex quo non possit iudicari nisi a deo, et quod ipse sit, cui non possit dici: Tu ita facias, quodque presumptuose sit citatus et de facto a Basilien. concilio, quod nec legibus ecclesie stringitur, nec statutis ecclesie artatur eo, quod potestas principis semper excipitur. Hec et similia licet in decretis inueniantur scripta, tamen quoad verum intentum talium magna caligine obscurarunt diuersorum super istis quondam emanate sententie, que vtinam tam ex veritatis amore quam curiositate quadam vel fortassis pestifera quadam adulacione sua primordia sumpsissent* &c. Positis dein Praemissis de Natura et varia consideratione Potestatis ecclesiasticae pronunciat: *Quod plenitudo potestatis est in ecclesia Dei vel in sacro Concilio legitime congregato inseparabiliter quoad iurisdictionem scilicet, et residet in ea inseparabiliter actualiter uel habitualiter quo ad omnis iurisdictionis vsum exercitium siue execucionem.* Id quod prolixe dein exequitur, et in decursu *Ottonem Frising.* ad-

pel-